

DEDICATORIA.

maioribus nostris tradita tractataque est, maximè perplexam & obscuram. (Nehoc loco aliquid addam de alijs quam plurimis in hoc nostro opusculo contentis paradoxis, anteà neq; visis neque auditis: deq; rebus Mathematicis difficillimis sanè atque perarduis: quęque omnem totius eruditissimę licet antiquitatis captum ac intellectum excesserunt. Inq; quarū rerū inquisitione multi diu defatigati, inuenire se id quod quarerent tādem diffisi, ab instituto abstinuēre.) Hęc autem maximè profunda atq; perplexa anteà doctrina, ad quātam facilitatem mei charissimi Præceptoris lusti Byrgi Heluetij indefesso studio, sedulisque meditationibus, atque diuturnis cogitationibus, meoq; hoc opusculo ac stylo, meaque quam vobis hīc exhibeo Methodo, redacta, correcta, emendataque sit, non est meum dicere. Sed ipsa ventura ac sera posteritas post plura secula dicet, videbit & iudicabit atque testabitur. (Cūm nimirūm per hujus nostri delicatuli effeminatiique seculi homunciones & pusiones, de tantis artibus, quas non intelligunt, peruersa ac finistra plerumque fervantur iudicia. Imò etiam ipsi magistratui, ne hiscē collapsuris adque interitum ruituris artibus succurrat, suasores atque autores existant.) Ideoque neque me neque charissimum meum Præceptorem, instructoremque atque instauratōrē huius absconditę Doctrinę facti impensiuē laboris vñquam pœnitibit, modò videamus, hos nostros suscepitos atque exanthlatos labores, non ingratos fore, VVV. DDD. inque hac pulcherrima ac præstantissima singularis subtilissimęque eruditionis parte impensum collocatumque atque collatum studium, vobis optimis ac clementissimis meis Dominis ac Mecenatibus minimè displicere, modoque VVV. DDD. in adiuvandis nostris studijs Astronomicis, nostrisq; suscepitis plusquam Herculeis laboribus præsentem, promptum, prouumque animum sentiamus. Et præsertim si vestræ celeberrimæ Academiæ & quę ac omnium aliarum studiosos ad harum reconditarum maximeque incundarum Doctrinarum atque artium sublimiorum cognitionem adhortemini, persuadeatis, inuitetis: eosque rudes ἀγεωμέτρητος, ortus & occatus quos latet atque fugit, & de quibus cum Homero meritò exclamandum, ὡ φίλοις γαρ Ιδυερόπη, ξόφος οὐδὲ πηνῶς, ad vestram videbūt celeberrimam Academiam ingenij excolendi politiorisque ac vbe-rioris ingenij culturę gratiā transmissos, vestrorumque doctissimorum Præceptorum & Professorum fideli custodię ac disciplinę concreditos, ad paternos Lares redire, domumque reuerti, minimè patiamini. Quę sanè adhibitę diligentia vestræ celeberrimæ Academiæ nec non toti honestissimae Reipublicæ, quantum glorię apud omnes Nationes, quantumque verę immortalitatis laudis ac honoris apud omnes doctos homines omnemque posteritatem sit allatura, ipsa veritatis filia, Tempus nimirūm docebit atque testabitur. Neque demūm & grē ferant
 VVV.